



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Memoriale Vitae Domini Et Salvatoris Nostri Iesv Christi

**Alfonso <de Madrid>**

**Coloniæ, 1608**

Meditatio diei Dominicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48900](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48900)

suam, & suauissimos sermones consolando, quemadmodum has foeminas consolatus est: quibus viuens apparuit, quamuis illæ mortuū quærerent: hocque aspectu, non tantum oculos earum corporeos lætificauit, quæ ex ipsius aspectu incredibile voluptatem perceperunt: sed etiã oculos animæ, quæ per piã & benignam hanc communicationem in fide confirmatæ fuerunt.

MEDITATIO  
*diei Dominicæ.*

**H**Ac die considerabis quomodo Redemptor mudi postquam (vti firmiter credimus) resurrexisset, primū apparuerit sanctissime Matri suæ, idq; propter reuerentiã matri debitã, & tali matri, quæ eò quod dolores Passionis eius super omnes alias creaturas acri⁹ sensisset, præ cæteris etiam consolari merebatur, ex gloriosæ Resurrectionis filij sui notitia. Postquam ergò Christus sanctissimam Matrem suam consolatus fuisset, sanctis mulieribus apparuit,

d. 7

ruit,



rui, atque illis præcepit, vt de resurrectione suos Apostolos redderent certiores: quibus etiam eodem die se visendum exhibuit, in eo coenaculo, vbi nouissimum cum illis Pascha celebrauerat: quamuis non omnes præsentibus extiterint. Thomas, vti Euangelium testatur, absens erat.

Expendes etiam tecum, quomodo per immensum quo illos complectebatur amorem, cum illis manducauerit, & conuersatus fuerit, alloquens illos benignè ac familiariter, vti consueuerat, neque tantum permittens, sed etiam iubens se manibus eorum tangi & contrectari, vt hac ratione illos in resurrectionis fide constantiores ac stabiliores redderet.

Considerabis præterea, quomodo Mariæ prædictæ, sepulchro appropinquantes viderint Angelos, testimonium de Christi resurrectione ferentes: lapidem etiam à monumento sublatum, & custodes omnes propter ingentem terramotum, quo terra ad Angeli è cælis descensum, vt resurre-

dit.



tionis Dominicæ nuncium mulieribus adferret, contremuerat, profugisse conspexerint.

Reuolues deinde, quomodo eodē die duobus alijs discipulis, in Emaus proficiscentibus, quorum vni vt Euangelium refert, nomen erat Cleophas: alteri, iuxta vulgarem opinionem, Lucas, qui hanc describit apparitionem: quibus dulcissimus Magister & Dominus in peregrini figura & habitu apparuit. Vbi notabis admiranda colloquia quæ cum illis miscuit, quomodo illum vt secū maneret coegerint, quomodo in panis fractione illum quem peregrinum esse putabant, humanissimum, benignissimum & misericordissimū Redemptorem suam esse cognouerint. Nam Christus, vt nōnulli Doctorum affirmant, & ex aliquot S. Euangelij locis patet, panem fracturus oculos ad cælum cum eximia pietate attollere, & Patri gratias agere consueuerat, quo in actu à Discipulis agnitus fuit.

Considerabis adhuc quomodo post octo dies, iterum S. Apostolis, simul  
cum

cum



cum S. Thoma resurrectionis Domini-  
nicæ mysterio fidem accommodare  
detrectanti, nisi prius visu & tactu rei  
veritatem disceret, congregatis, ap-  
paruerit. Atque ut S. Thomam, atque  
in illo ceteros Apostolos, & nos om-  
nes in resurrectionis fide confirma-  
ret, monstravit ei manus, pedes, &  
latus, admonens ex charitate & amo-  
re mirabili, ut digitos in vulnera ma-  
nuum ac pedum, & manum in latus  
suum infereret, & omnem dubitatio-  
nem atque incredulitatem ex animo  
suo depelleret: quod & fecit, nã sta-  
tim fidem suã professus est, & excla-  
mavit, *Dominus meus & Deus meus.*

Expendes præterea tecum, quo-  
modo quadraginta illis diebus, qui  
intercesserunt inter Christi resurre-  
ctionem & ascensionem, sæpiùs San-  
ctis Apostolis apparuerit, nec nõ 62.  
Discipulis, & omnibus illis qui ali-  
quam in se fidem habebant ac deuo-  
tionem, quousque fides in illis con-  
firmata esset, ac roborata. Tum verò  
constituit eis in Prælatum & Episco-  
pum vniuersalem totius Ecclesiæ, S.  
Petrum



Petrum Apostolum, & eius successores: & cunctis præcepit Apostolis, vt in vniuerso mundo Catholicã fidem annunciarent, baptizãtes eos qui crederent, in nomine Sanctissime Trinitatis: certificauit eos denique, quod omnis qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Posteaquam ergò quadraginta diebus post resurrectionẽ inter illos conuersatus fuisset, manducans & bibens cum eis, atque familiariter de rebus fidei illos instruens, repræhendens etiã aliquos ex eis, quod tardi & difficiles ad mysterium resurrectionis suæ credendum extitissent, promittens demum, se mansurum cum eis vsque ad consummationem sæculi, in Sacramento videlicet Altaris: iussit vt egrederentur ad montem Oliuarum, vbi cum facultatẽ abeundi à sanctissima Matre sua, & cæteris Apostolis qui præsentibus aderant accepisset, & ad interrogata quædam ab illis proposita respondisset, ipsis cernentibus, virtute propria in cælum eleuatus est: ascendebat

debat



debat autem paulatim ne oculi eorum dulcissimo illius aspectu ilico, sed sensim priuarentur: Secundum nonnullos contemplatiuos tamdiu eleuatus fuit, quamdiu oculi eorum vultum ipsius gratiosissimū & amabilissimum intueri potuerūt: posteaquam vero in eam altitudinem peruenit, vt amplius eum discernere nō valerēt, nubes quædam se inter Apostolorum oculos & pedes & Redemptoris interposuit, quæ illos aspectu eius omninō spoliavit: quamuis nōnulli existiment oculos Beatiss. Virginis ex huius nubis interiectu, nullum sensisse impedimētum, sed multo maiori distantia q̄ cæteros, filium intuitos fuisse: & sanctissimam etiam animam eius eleuatam fuisse ad contemplanda gaudia & festa quæ Angelorum hierarchiæ in ascensu summi Regis gloriæ celebrarunt, quæ eximia & admiranda esse debuere, tanq̄ Principis alicuius triumphantis, de subiugato sibi Regno quod cōtra Patrem Imperatorem rebellauerat.

Festis hisce admirandis in glorio-  
sa hac



DIEI DOMINICAE. 21

sa hac susceptione consummatis, sanctissima Christi humanitas, quæ nostri causa crudelissimè torta & lacerata fuerat, ad dexteram Patris, id est in excellentioribus cœlestis gloriæ bonis collocata est.

Considerabis demum, quomodo quinquagesimo post Christi resurrectionem die Spiritus Sanctus in Apostolos delapsus fuerit, qui eos perfectè consolatus est, instruxit & roboravit, reddens illos idoneos diuini verbi, & Euangelij per totum mundum annunciandi ministros: quod & illi strenuè præstiterunt. Nam *in omnem terram*, uti Regius Propheta Dauid inquit, *exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorū*. Notabim⁹ hic ad ædificationem & instructionē nostrā morālē, quod quemadmodū illi, q. perfectius Dom. Passionis opprobria & indignitatē in animis suis senserunt, post gloriosam Christi resurrectionē ante alios visitati, & maioris etiā gaudij participes effecti fuere, uti partim ex S. Euangelio, partim ex Doctorum Catholicorum scriptis

COR.



constat, ita quoque nos si participes esse studuerimus pœnarum ac suppliciorum Christi redemptoris nostri, digni quoque erimus qui ab illo ad sublimiorem, quam alij, gloriæ gradum extollamur. Nam (secundum Apostolum) *si socij fuerimus passionū, erimus & consolationum: Et si compassi fuerimus, & conregnabimus.*

Quæ doctrina vt clarior & euidentior fiat, ratiocinemur speciatim de omnibus creaturis, quæ in sanctissimo hoc mysterio aliquē doloris sensum exhibuerunt: reperiemus enim, quod omnia quæ plus mœroris ac tristitiæ in Christi passione senserūt, maiori etiam gaudio in gloriosa ipsius resurrectione perfusa excellentioribusque donis ornata sint: quod clarè liquebit, si incipiamus ab innocentissimo Redemptore nostro, cuius sanctissima anima & corpus, plura & grauiora sustinuerunt tormenta, quàm vllæ aliæ creaturæ: In ipso enim adimpletum fuit illud Regij Prophetæ. *Secundum multitudinem dolorū meorum in corde meo, consolationes tuæ letificasti.*



*rificauerunt animam meã.* Aiunt enim Theologi, ipsum hac passione eximios illos gloriæ gradus, quibus corpus eius glorificandum & dotandum erat promeruisse, aut certè impedimenta quæ huius gloriæ communicationem impedirent, submouisse: nominis etiam sui exaltationem meritum fuisse.

Testatur id S. Paulus Apostolus quando de perfectissima Christi obedientia, qua in mortem crucis assensum suum præbuit, loquens, ait. *Christus factus est obediens vsque ad mortem: mortem autem crucis, id est, mortem illius temporis omnium contumeliosissimam: propter quod & Deus exaltauit illū, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine illius omne genu flectatur caelestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS in gloria est Dei Patris.* Similiter si de cæteris creaturis ratiocinemur: nimirum de Beatiss. Virgine MARIA, de S. Magdalena, de S. Petro, ac de ipsis etiam creaturis ratione & sensu

carca-



carentibus. Hinc enim est quod quidam aiunt ipsos lapides, qui fissi fuerant, dum Christus animam in cruce expiraret, vti textus Euangelicus declarat, dicens: *Et petra scissa sunt.* post sacrā Christi resurrectionem, famam illam, qua postea in toto terrarū orbe apud fideles celebrati fuerūt, promeruerint: nam (secundum Philosophos) gloria mūdi nihil aliud est, quā celebris fama cum laude coniuncta. Hanc etiam ob causam S. Franciscus montem Aluerniæ præcipuè dilexit, quod is in Christi morte maximum inter alios montes doloris sensum ostendisset, quemadmodum nonnulli Doctorum, specialiter Barthol. Pisanus in lib. Conformitatum affirmat, & manifestū esse potest ei, qui montem hunc attentius inspexerit: est enim à summo deorsum vsque fissus, quasi ex cōpassione disruptus, & ad intima vsque (vt modo humano loquar) apertus fuisset. Vnde etiā Deus hunc montē omnium qui in Europa sunt montiū celeberrimū & laudatissimū reddidit, quemadmodum idē lib. 3.

Con



Conformit. latè fusæq; demonstrat: qui illum maximè celebribus totius terrarum orbis montibus comparat, & ijs digniorè esse ostendit, ea potissimum ratione, quod Christus Redemptor noster in propria psona in sanctum hunc montè descēdere, ibiq; S. Franciscum inuisere, consolari, & sacra stigmata sua corpori eius imprimere voluerit. Vt ergo ad propositū reuertamur, si diuina prouidentia insensibiles creaturas, magnifica & liberali manu sua tā copiosè remunerat, quid faciet hominibus anima rationis capace præditis? Testes huius rei esse possunt oēs sancti, qui huic sacro mysterio præsentés extitère: quia dolorum quos ex Dominicæ Passionis aspectu, senserunt participatio, pro martyrio illis imputata fuit, ut nonnulli Theologorum affirmant. Ratio quæ illos ad hoc asserendum permouet, hæc est; q̄ multi eorū, imò præcipui ferè & maxime illustres, qui Domin. Passioni interfuerūt, à persecutoribus fidei, per mortē violentā non pceperint coronā martyrij, nec tamē  
cre-



credibile fit, quod ab illa gloria, quã  
martyrium suis cõfert possessoribus,  
alieni sint futuri: vti Beatiff. Virgo  
cælorum Regina, S. Ioannes Euange-  
lista, & alij: præsertim cū nullo alio  
conuenientiori tempore, quam tum  
illam promereri potuisse legantur.  
Hac permoti ratione nõnulli Theo-  
logorum tam veterum quàm recen-  
tium asserunt, dolorem compassio-  
nis, illis imputatũ fuisse pro tali me-  
rito, vt acciperent coronam marty-  
rij. Hinc etiã S. Hieronymus ait: Bea-  
tiff. Virginem in illa tristi nocte pas-  
sionis, plus supplicij ac tormentorũ,  
per compassionem sustinuisse, quam  
in martyrio tolerare potuisset. Acce-  
dit ad hæc, vt nonnulli Doctorũ pru-  
denter notarunt, quod diuina prou-  
dentia neminem eorum qui sponta-  
nea voluntate Dominicæ Passioni in-  
terfuit, & astitit, à persecutoribus fi-  
dei martyrio affici, aut violẽta mor-  
te necari permiserit, eò quod satis ef-  
se putaret mortem cõpassionis, quam  
isti ea nocte subierunt, vti patet in  
Beatiff. Virgine, S. Ioanne, S. Maria  
Magda-



Magdalena cæterisque sanctis mulieribus, de quibus in nulla Canonica legitur scriptura, quod persecutorum manibus vitam finierint: quâvis sacrû testetur Euâgelium eos Dominicæ passioni præsentibus astitisse.

Huic doctrinæ plenæ pietatis, conformes etiam sunt nonnullæ reuelationes quas DEVS pro sua clementia, nonnullis personis eximiæ sanctitatis manifestare dignatus est. Et quia harum vna, illa nimirum quæ S. Mechtildi religiosissimæ, & illuminatissimæ sanctimoniali, patefacta fuit, eximiæ utilitatis & ædificationis est, (quamvis in nouissimo hoc puncto, plus iusto fusior futurus sim) omittere tamen non potui, quin eam hîc quam breuissimè commemorarem.

Legimus in primo libro Reuelationum & doctrinæ S. Mechtildis, Christum inter alias innumeras gratias ei hoc quoque præstitisse, quod ei die quodam Parasceues visibiliter apparuit: tum illa his eum verbis allocuta est. O mi dulcissime Deus

¶

in quo



in quo potest tibi homo restituere, & hac die pro hominum saluti capi, & ligari dignatus es. Cui respondit Dominus. Ut in vinculo veræ obedientiæ propter me voluntariè ac libèter sit ligatus. Et Mechtildis. Quid laudis tibi reddet, quod immundis iudæorū sputis consputus, & immitibus colaphis cœsus fuisti? Cui Dñs. Dico tibi in veritate, quod oēs q̄ prælatos suos contēnunt, faciem meā conspuunt: si quis illā contumeliā velit emēdare, prælatos suos honoret. Et Mechtildis. Quid gratiarum actionis, ô pijsissime, pro alapis accipies? Respondit. Ut homo cōsuetudines & statuta suæ religionis fideliter & strictè teneat. Et Mechtildis. Quid laudis ó amice fidelissime, postulas, pro dolore quē passus es, quādo imperiali capiti tuo corona spinea impressa fuit: ita ut roseo sanguine delitiosa facies tua, in quā Angeli prospicere desiderant, tota operiretur? Respondit. Ut homo cum tentatur, totis viribus fortiter resistat: quot enim tentationes in nomine meo superat, tot in meo diademate

mate



mate gēmas ponit pretiofas. Et Mechtildis. Quid pro eo, magistrorum sapiētiffime, quod vt fatuus in veste alba delufus es? Respondit: Vt homo nullum quærat in vestibus ornatum, nec pretiofitatem, fed folum neceffitatē. Et Mechtildis. Quid gratiarum actionis pro eo, ô cordis mei vnice, quod tam inhumaniter & acriter flagellatus es? Respondit: Vt homo perfecta fidelitate & patientia, mecum perfeueret, tam in prosperis, quam in aduerfis. Et Mechtildis. Quid, amantiffime, pro eo, quod pedibus crucifixus es? Respōdit: Vt omnia defideria fua homo fundet in me: & fi meum non potest defideriū habere, habeat vt minimum, voluntatē habendi defideriū, & tunc accipiam voluntatē. Et Mechtildis. Quid pro eo, quod manibus cruci affixus es? Respondit. Vt homo fe in omnibus bonis operibus exercean, & cuncta opera mala propter me dimittat. Et Mechtildis. Quid tibi, ô dulcor vnice, debet gratiarum actionis homo referre pro illo amoris vulnere, quod in cruce



accepisti pro ipso homine, cum amor inuincibilis, sagitta amoris cor tuum mellifluum perforauit: vnde nobis aqua & sanguis in remedium profluxit, & sic deuictus magnitudine amoris sponsæ tuæ, mortuus es amoris morte? Respondit. Vt homo omnem voluntatē suam meæ conformet voluntati, & voluntas mea, illi semper in omnibus & super omnia sit accepta. Dixit præterea Dominus ad eam: In veritate dico tibi, si qs ex deuotione Passionis meæ lachrymas effuderit, nō aliter suscipiam, ac si ipse pro me sit passus. Tum Mechtildis: Et qua ratione aut qua deuotione ad has lachrymas peruenire valeo? Cui Dominus. Ego te docebo. Primò cogita, quali amicitia & dilectione inimicis meis obuiam processi, qui me cū gladijs & fustibus ad mortē quærebant, tanquam latronem & maleficum: sed ego illis tanquā mater filio, obuiam me dedi, vt eos de faucibus luporum eriperem. Secūdò, cum alapis immittibus me cæderent, quot alapas mihi dederunt, tot dulcia oscula animabus eorum.



eorum præbui: qui vsque in diem nouissimum per Passionem meam saluandi sunt. Tertio, cum ferocissime flagellarer, tam efficacē pro eis orationem fudi ad Patrem, vt multi ex eis conuerterentur. Quarto, cum spinam coronam capiti meo impo-  
nerent, quot spinas mihi impresserunt, tot gēmas in ipsorū coronam collocaui. Quinto, cum me cruci clavis affigerent, & omnia mēbra mea distenderent, ita vt ossa mea & viscera dinumerari possent, tota mea diuina virtute, attraxi animas eorum ad me, omnium videlicet, qui ad vitam æternam erant prædestinati, sicut prædixeram. *Cum exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum.* Sexto, cum lancea latus meum aperirēt, ex corde meo propinaui eis poculum vitæ, qui per Adamum hauserāt poculum mortis, vt essēt oēs filij vitæ æternæ, & salutis in me, qui sū vita. Eadē sancta Mechtildis monet, vt qui Dominicæ Passionis colendam memoriam frequentare desiderat, singulis ferijs sextis vice horarū legat septies Psal-



mum. *Exaltabo te Domine quoniam suscepisti me*, sic enim futurum ut post anni circulū tot versus habeat, quot Dominus IESVS vulnera habuit. Cui nos tanquam illuminatę personę, cui Dominus multa eximia & admirāda secreta reuelavit fidē adhibere oportet: Verūm quia non omnes hoc deuotionis exercitium in opus conferre poterunt; propterea quod vel literas non norint, aut prædictum Psalmum memoria non teneant, aut fortē libros eundem continentes nō habeant, idcirco aliud hic deuotionis exercitium, quod eidē religiosę sanctimoniali Deus patefecit, subnectā: idque tantę utilitatis, ut Deus omnibus illud exercentibus statum salutis & verę deuotionis gratiam pollicitus fuerit.

In quarto libro Reuelationum eius legimus, quod cum vice quadam Deo offerret quinque millia, quadringenta & sexaginta orationes Dominicas, quas tota congregatio recitauerat, in vnione sanctissimorū vulnerū Christi, apparuit ei Dominus<sup>9</sup> expansis manibus,



nibus, & omnibus vulneribus apertis  
 dicens ad eam. Cùm penderē in Cru-  
 ce, omnia vulnera mea patebant, &  
 singula vocē ad Deum patrem emit-  
 tentia, pro hominis salute interpel-  
 labant, & sic vsque hodie clamore  
 quodā Dei Patris iram, mitigant pec-  
 catori. Et hoc dico tibi, quod nunquā  
 mēdicus adeo potuit latificari acci-  
 piendo eleemosynam, quam impor-  
 tunis clamoribus acquisiuit, sicut ego  
 exultans suscipio orationē, quæ mihi  
 in honore vulnerum meorum exhi-  
 betur; Et hoc dico tibi, quod hæc ora-  
 tio nunquam pro aliquo deuotē &  
 attentē legi poterit, quin ei obtineat  
 statum salutis. Tum illa. Mi Domine,  
 & quæ est attentio, in qua tibi vis le-  
 gi? Qui respondit. Vt homo nō solum  
 ore, sed etiā corde verba attentē pro-  
 ferat, & vt minimum post quinque  
*Pater noster* mihi commendet, & per  
 hanc orationem. *Domine IESV Chri-  
 ste fili Dei viui, suscipe hanc orationem  
 in amore illo super excellenti, in quo om-  
 nia vulnera tui sanctissimi corporis su-  
 stinuisti, & mei miserere & omnibus*



*peccatoribus, cunctisq; fidelibus tam  
viviis, quam defunctis.*

Hoc exercitium in vno anno, aut  
breuiori etiam tempore exerceri po-  
test, iuxta recitantis placitum, si ni-  
mirum singulis dieb<sup>9</sup> quindecim ora-  
tiões Dominicas recitet, & ternis vi-  
cibus prædictam orationem repetat.

Eidem sanctæ Virgini Deus tria re-  
uelauit, quæ præteriri non debent: è  
quod sint magnæ cōsolationis & ædi-  
ficatiōis. Primum pro peccatoribus:  
Secundum pro afflictis: Tertium pro  
omnibus. Quoad primum dixit ad  
eam. Peccator quousque in peccatis  
est, me velut in cruce distentum vin-  
culis constringit: sed mox cum per  
pœnitentiam ad me conuertitur, cō-  
tinuo me absoluit. Et ego cum gratia  
mea & misericordia de cruce solu-  
tus, totus super eum ruo, sicut olim  
supra Ioseph, cum me de cruce sol-  
ueret, cecidi, meque ipsum totum in  
potestaté eius trado, vt de me omnia  
quæ voluerit, facere possit. Quod si  
in peccatis vsq; ad morté perseuera-  
uerit, iustitia mea super eum potesta-  
tem.



rem habebit, quæ tunc eū secundum quod meruit iudicabit. Quoad secundum: cum ipsa pro quodam afflicto Dominum oraret, dixit ei Dominus. Si quis ita tristatur, vt sibi videatur, quod libentius moreretur, quam illam perferret tristitiā: quoties illud grauamen mihi obtulerit, proponēs in eo de cætero velle durare, toties oblationem illam suscipiam ac si pro me passus sit. Quoad tertium, cum illa quodam tēpore interrogaret Dominum, quid sibi in homine maximè placeret. Respōdit Dominus: Vt quilibet cum magna gratitudine perpēdat & iugi memoria reuoluat, omnium virtuosorum operum meorū exercitia, quæ in terris operatus sum, & omnium pœnarum & iniuriarum mearum, quas sustinui triginta tribus annis. Adhæc in quanta vixi miseria, & quantæ mihi exhibitæ fuerint contumeliæ à meis creaturis, & quomodo demum mortuus sum in cruce morte amarissima, ob amorem animæ hominis, quam mihi sponsam mercatus sum pretioso meo sanguine.

ne.



106 **MEDIT. DIEI DOMIN.**  
ne. Hæc omnia vnicuique ita sint ac-  
cepta & grata, ac si propter ipsius so-  
lummodo perpeſſus ſim ſalutem.

*Lib. Coll. Sal. I. in Paderborn. a. 1613.*

**CONCLUSIO.**

Habes, Illuſtriſ. Domina, breuiter  
declarata, quæ ſeruens tua deuotio &  
acris intellectus dilatare poterit, &  
multò accuratiùs, quàm ſcripta fuerint,  
contemplari. Ignosce quod reſtam ma-  
gnas, de quibus integra volumina con-  
ſcribi poſſent, tam leuiter tranſierim.  
Mea enim intentio non alia fuit, quam  
breue quoddam memoriale, cõſcribere:  
cuius aliquam partem ſingulis hebdo-  
mada diebus conſiderares, ad cõſeruan-  
dam aſſiduã I E S V Chriſti Domini &  
Redemptoris noſtri memoriam, quæ eſt  
dulcis ſuper omnia, & in omnibus ad-  
uerſitatibus noſ conſolatur, augendo in  
animabus noſtris deuotionem & chari-  
tatem, quæ eſt ſumma Chriſtiane reli-  
gionis perfectio. Quod tibi & mihi  
tribuat omnipotens Deus, qui eſt  
benedictus in ſecula.

Amen.

**F I N I S.**